

litis FRANCISCI DE PERUSIO, cujus parentes, vetusta gryphum laude insignes, idem decus in filium propagaverant. Sed ille avitas terras repetens tanta clade hanc Griffoniam affecit, ut illius memoriam, & cruenta vestigia Viadrus nunquam omnibus suis undis possit delere. Meminisse debebat, cum egrederetur Perusio suo, se ingredi nunc illud Perusium, quod patriæ suæ dederit gloriam, & incrementum. Quemadmodum vero sæpe accidit, ut beneficia parentum odio liberorum compensentur, ita etiam hic omne suum studium in eo posuit, ut gryphem nostrum, qui ad invidiam aliorum populorum à longis seculis jam floruerat, enervaret, & prosterneret. Quamvis quidem in eo vicerit, ut idem per tempus aliquod dura calamitate oppressus fuerit, nondum tamen prostratus est. Stat enim, & stabit ille SUMMI NUMINIS providentia, contraque hostes suos POTENTISSIMI REGIS NOSTRI clementissimo nutu, & CELSISSIMI PRINCIPIS felicissima directione innumens grassabitur victoriis.



7111

D. O. M. A.
 PRÆCIDANEA QUÆDAM
 LOGICA ET METAPHYSICA

ad
 explicandam

ABSOLUTAM DEI POTENTIAM
 faciendam

permissu

SPECTATISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI

In Audit. Philosophorum ad d. 21. Augusti

Anno cl. lxxc.

edidit

M. BENJAMIN Bogerne / Pomer.

Respondente

JO. SAM. LAURENTIO, March.

(*****)

Gryphisvaldi,

Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
 Regiæ Academiæ Typographi.

Nobilis. Carolus. Clavis. 1790.

D. O. M. A.
TRACIDANEA QVADAM
LOGICAE METAPHYSICAE
PHYSICAE
DEO
ET
PATRIAE
S.



426410

§. I.

Habeat verò in se consimilia atq; talia oppidò modum ac consilium, quæcunq; voluerit res à Philosophia regi atq; gubernari. Neq; ergo potius magisq; apprimè quicquam nunc quidem egero, dum *difficiles illos & cum discrimine sermones*, ceu passim Plato, de hoc negotio differens, appellat, ordior retractoq;, quam si monenti Ciceroni parucro, qui *de potestate Deorum timide & pauca dicenda esse* non minus sapienter, quam vere visus est præcipere. Conferatur CORNELIUS MARTINI *Theolog. natural. dissertat. II. §. LXII. p. m. 62.*

§. II.

Timide ut in hoc argumento versari occipiam, auctoritates volunt, jubent, postulant summorum Virorum, quæ DEUM (siquidem philosophice sit loquendum) Logicæ aut Metaphysicæ considerationis haberi vetant: ex quibus leviter tantum quasdam ac per summa quasi capita delibabo, neq; enim enarrare profus attinet. Ita passim Logicos in definiendis his sententiis, utrum Deus aut personæ divinæ individua Logica sint appellanda; utrum DEUS species sit, genus aut differentiam agnoscat: utrum DEUS vel directe vel reductive vel analogice in prædicamento esse possit, &c. se exercuisse plurimosq; inficiatos esse reperias. Sed nec Metaphysicæ eum considerationis esse contendunt. Neq; enim ut subjecti Metaphysici principium, nec affectionem, nec ut ipsum subjectum, nec ut subjecti speciem in Metaphysicis considerari. Quod si enim ita consideraretur, tum DEUM fore compositum quid, generi subditum iri, habiturum aliquid se prius, ac idoneum deniq; fore, qui definiatur omnino.

A 2

§. III Pe.

§. III.

Pervaluisse has meditationes tandem eò in manifesto est, ut præsentis ævi Philosophi novam disciplinam constituerint, Pneumaticamq; quam veteres aliàs neglexere, aliàs Metaphysicis transcribere, in certum Systema redactam, seorsim tractare, à Metaphysica quasi avulsam, cœperint. Constat & illud, Pneumaticam, vel potius specialem ejus, quam vocant, partem tres in partes disseci solere, Theologiam nempe, si ve eam partem, quæ DEUM considerat, Angelographiam, quæ Angelos, & Psychologiam, quæ animam rationalem. Quamquam alii, non sine ratione divulsa dividentes amplius, DEO peculiarem disciplinam, sub nomine Theologiæ naturalis tribuendam statuunt. vid. Pererius de communibus omnium rerum naturalium principiis & affectionibus Lib. I. cap. 7. JACOBUS THOMASII in Histor. Metaph. Erotematibus Metaph. adj. p. m. 87. Quorum consilium diligentissime executus STEPHANUS KLOTZIUS in comitissima sua Theologia naturali. Pererii tamen sententiam castigat CORNEL. MARTINI Compend. Theolog. nat. p. m. 2.

§. IV.

Sed enim verò neutrum mearum jam fuerit partium, aut lites dirimere, aut litibus eas alere, quo tamen perspiciatur, quorsum magis sentia mea, rationibus imprægnata gravibus, propendere debeat, ex proxime antecedentibus quædam reassumam, breviterq; enucleabo. Ac principio quidem dico, de DEI ad prædicamentum adhibitione, & definitione a deo, nondum confectam rem esse. Non advocabo huc ex prisca vel Scholasticis, vel aliis Doctoribus Logicis simplicium quendam Venetum apud FONSECAM Lib. V. Metaph. cap. 7. quæst. 8. Sect. I. p. 478. necq; Thomam aut Augustinum, citatos pro hac sententia, quam suam

suam quoq; facit idem, SCHEIBLERO introducti in Logic. c. 2. quæst. 1. conclus. 2. art. 2. nec Gregorium de Valentia disp. I. quæst. 3. punct. 8. necq; KECKERMANNUM Syst. Log. p. 37. aut TIMPLERUM Lib. IV. Metaph. c. 2. quæst. 4. ROD. GOELENIIUM Organ. Aristotelis p. m. 26. Quin ipsius PHILOSOPHI verba, sensus Philosophici maximæque perspicuitatis plena, ex Lib. I. Eudemiorum Cap. II. edit. Aurel. formæ minoris ab anno 1597. (namque & Casauboni editio ibid. in folio anno 1605. prodiit) p. m. 251. Tom. II. heic collocabo: ἐν ἑστία μὲν ὁ νῦν καὶ ὁ θεὸς ἐν δὲ τῷ πῶ, τὸ δίκαιον ἐν δὲ τῷ πῶ, τὸ μῦθον ἐν δὲ τῷ πῶ, ὁ καιρὸς &c. ad quem textum conferatur. I. Ethicor. Cap. IV. & Lib. VII. Metaph. Cap. I. Et Philo Judæus, citante JAN. AUGUST. VOGELIO Arist. Resol. & quidem Metaph. thes. de Aliquo quæst. 4. ὑπαρξίς ἐστίν, ὁ καὶ λαμβάνομεν αὐτῆ, τὸ δὲ χωρὶς ὑπαρξέων ἔδεν, i. e. substantia est, quicquid de illo concipimus, & extra substantiam nihil conferatur ISIDORUS Episc. Hispal. Lib. VII. cap. I. Op. Etymol. quo ipso satis aperte ARISTOTELES DEUM in prædicamento substantiæ collocat. Quod tamen nec eò interpretandum, ac si DEUS esset in prædicamento πραγμῶν, ceu substantiæ compositæ perhibentur, sed λογικῶν, quam distinctionem cum DREIERO Metaph. p. 312. omnino adhibeo. In quam commentarium quasi persaturam adjicere libet ex KLOTZIO Theol. natur. p. m. 200. aliter substantia sumi potest pro primo conceptu rei non inhzente, abstracto ab eo, quod accidentibus Physicis substat, vel non. Et ita DEUM in prædicamento substantia ponere, idem est, ac DEO prædicatum substantia tribuere, quod eo sensu verissimum est. Placent deniq; ac digna sunt, quæ heic legantur, verba SCHERZERI Nuclei Philosophici p. m. 61. Qui negant DEUM esse in prædicamento, ex prædicamento faciunt carcerem, cui entia includunt. Sed profecto sic etiam ego nolim esse tam irreverens Numinis, ut hoc modo in prædicamento esse dicerem & p. 62.

si predicamentum notat imperfectionem (quod tamen difficulter ostenditur) protestor solenniter, DEUM perfectissimum Ens nequaquam esse in predicamento.

§. V.

Quemadmodum autem DEUS prædicamenti notione non læditur, ita nec definitionis attributione cum contaminari credibile aut memorabile habuerunt. Auctores citat KLOTZIUS Theol. nat. p. m. 161. Quibus ego accensere possum JOH. RHEINBOTHUM, qui in Collegio Metaphys. quod anno 1634. Rostochi prælegit. Cujusq; MSS. penes me est, Lib. II. Sect. I. Puncto. I. §. XIX. ita habet: Immo ut ingenue fatear, dicerem nullam rem æque bene & perfecte posse definiri, ac DEUM, præsuppositis principiis Peripateticis, quæ hodie omnes crepant & præsupponunt. DEUS enim cum sit primum analogatum, substantia in sua natura & cognitione spectata, atq; adeo secundorum analogatorum mentionem non debet includere. Reliquæ autem substantia cum sint secundaria analogata, si Aristotelem sectari volumus, prius illud analogatum respiciunt: Immo si SCHARFIO, Peripatetico sine exemplo inter Germanos, fides habenda sit, in definitione secundorum analogatorum prius analogatum debet exprimi, vel saltem, si argumentum Aristotelis procedit, quod Lib. VII. Metaph. nectit, DEUS simpliciter erit definiendus, reliquæ autem substantia secundum quid & cum adjectione. Philosophus enim, cum animadverteret, substantiam & accidens se habere analogice, ut accidens substantia sit accidens, ideo & simpliciter substantias, accidentia autem secundum quid definiendi asserit. Dicit enim, quemadmodum accidentia non sunt Entia simpliciter, sed secundum quid; ita nec definiuntur simpliciter, sed cum adjectione. Idem argumentum meum facio, & ad præsens institutum accommodo, inquam: Quemadmodum substantia creata non sunt substantia simpliciter; sed secundum quid, cum sint secundaria analogata; DEUS autem substantia simpliciter & primum analogatum,

ideo & in comparatione substantiarum DEUS defini potest simpliciter, substantia autem secunda tantum secundum quid & cum adjectione. Quemadmodum in accidentibus propter analogicam dependentiam à substantia, debebat substantia ratio includi, certe, si argumentum Aristotelis est firmum, etiam substantia creata illam adjectionem à prima substantia recipere debent. At quam vellem, RHEINBOTHUS modestiæ pariter ac SCHERZERUS haberi consultus juxta voluisset, parilemque sequioribus interpretamentis protestandi formulam opposuisset. Etsi namque analogorum doctrina probabilitatis quendam hoc in negotio speciem afferre videatur; merito tamen vercor, ut hoc perinde ab omnibus capiatur, cum plerique hoc ævo magna in ignoratione harum rerum versentur, & dudum ob incommoda, neglectam propter minusque intellectam analogorum naturam atque doctrinam oborta, cordatiores Philosophi doleant atque conqverantur. quorsum conferatur JAC. THOMASIIUS Histor. Metaph. §§. 26. 27. 28. 31. 35. Verum de eo nunc haud est perscribendi locus, atque ego alias, ubi DEUS occasionem suffecerit, justam peculiaremque dissertationem ANALOGISMO RESTITUTO impendam. Ceterum mihi à Patrum Theologorumque orthodoxorum, DEUM nec mente comprehendendi, nec definitione adeo, utpote cui neque genus (cum speciebus ac individuis suis multiplicabile) neque differentia (quippe quæ generis est accidens & pars speciei) proprie sic dicta & ad rigorem Porphyrii exacta competant, explicari posse contententium sententia gravi, divorcium facere inque Nominalium castra transire religio est.

§. VI.

Quod si vero quisquam RHEINBOTHUM audire malit, cogitetque præterea ad descriptionem etiam requiri genus cum proprio vel accidentibus, vel vicarios horum terminos

terminos adhiberi oportere, qui ad reddendum generis, seu differentiae, instar nati sint, ceu aliquando, si res tulerit, exercitatione Academica de HIS, QVÆ DEFINITIONEM ÆMULANTUR comprobabo; Quod si denique traditam supra, pro facta DEI ad prædicamentum collocatione, distinctionem (super duplici res tractandi modo, cujus frequenter Philosophus meminit, & accuratam pertractationem reliquit MICHAEL PICCARTUS *Philos. Altdorfinae p. m. 366.* fundatam) heic quis adhibeat, & DEUM adeo non quidem *πραγματικῶς* sed *λογικῶς* definiri posse subinnuat, hic ipse (quod tamen ex hypothese scriptum volo) plurima consuetaria reperturus omnino est, quæ institutum meum demonstrareprehendantur. Namque hinc habebit illud, ut affirmare possit, DEUM quodammodo ad considerationem Logicam pertinere: habebit & hoc, ut confidere queat, cum HILARIO, DEUM, cum vel sic definitur, *ipsum sua definitione crescere*. Fastigii quippe insuperabilis res est analogatum primarium indigitari. In quo sibi parum constat RHEINBOTHUS dum *l. c. §. XXII. Spiritum perhibet vel genus DEI, vel si quis ab hac voce vellet abhorreere, conceptum loco generis stantem & ad cognitionem quidditativam & definitionem proprie sic dictam sufficientem*. Quod si hanc in asserendo confidentiam comparare fas est, Rheinbothum cum sole conferam, qui vere incunte fere plures concitat nebulas, quam quidem possit dispellere. Modo namque DEUM vel citra substantiam primam, ob essentiam singularissimam & analogati primarii notionem constituerat, mox rursus ultra substantiam secundam detrudit. Sed ad rem. Efficitur denique hinc DEUM in limine prædicamenti atque prima cognitionis humanæ via constitutum, majori in apice collocatum altiusque supereminere,

eminere, quam si per scalas Metaphysicas ad summum Ens transcendat. Ab Aristotele substantia non describitur, sed distinguitur. Quæ vero vulgo tradi solet: *Substantia est Ens, quod habet proprium esse & sustinet accidentia, specialis est, & ad res creatas tantummodo accommodata*. Quam si penitius inspiciamus, illico infinitam DEUM inter & creaturam (substantiam analogati primi atque primarii, & analogatorum secundariorum) distantiam animadvertamus licet. Proprium esse ægre sibi vendicant substantiæ reliquæ, cum debile admodum & respectivum illud tantum sit. Namque dicuntur modo Entia per se, respectu accidentium, videatur ROD. GOELENIUS *Org. Arist. p. 27.* ceteroquin non à se sunt res creatæ, sed subsistendi à DEO habent initium. Ut adeo, commutata quadam ratione dicendi, differentiam prædicamentalis attributionis, ad haustam supra ex ARISTOTELE reditamque mentem, ita queam ostendere. *DEUS est substantia, quæ habet proprium esse (absolutum) nec sustinet accidentia. Creatura est substantia, quæ non habet proprium esse (absolutum) sed sustinet accidentia*. Et hæc consideratio Logica fere æquis sane momenti DEUM evchit, ac Metaphysica, pariterque independentem facit ac infinitum: ex quibus alterutrum pro radice omnium conceptuum & prædicatorum priorum, quæ in DEO inveniuntur & de DEO affirmantur, Theologi assumunt.

§. VII.

Sunt ergo hæc quædam quasi præcidaneorum primitiæ, sed cogitationes mere imperfectæ, demersum tamen intellectum nostrum elevantes quodammodo, ut veram deinde altius imbibat de essentia DEI & operatione absoluta ex verbo revelato notitiam. Ceterum essentiæ divinæ adæquatam conceptum formare, aut

verbis proloqui non est datum hominibus, etiam si omnes omnium mentes una ad investigandum coirent, & omnes ad enunciandum lingua concurrerent, Basil. bomil. de vera fide. Quibus gemina habet *Abenveissus* (quem ita rectius juxta Arabes, quam vulgo *Averroës* effertur, appellito. Conferatur *GVIL. POSTELLUS* de Orbis Concordia p. m. 16.) quæ & passim à Philosophis citantur: Si omnes nimirum res sublunares calami scriptorii essent, si omnes aquarum omnium gutta atramentum, si cæli omnes essent libri, non posse tamen vel unicam *DEI* perfectionem digne describi confer. *CORNEL. MARTINI* Theol. natural. p. m. 34. Vere proinde *J. C. SCALIGER*, in tantum laudandus subtilitatis Magister, in quantum hæc subtilitatem omnem ingenii humani retundit. Interest enim, inquit, & nostra pietatis, & *DEI* immensitatis, ea sentire, quæ sentire non possumus: Sentire quidem in ipso per ipsum, quæ per nos sentire nequeamus. Exercit. 365. f. 9. p. m. 1127. Mox mutila intellectu nos metiri infinitatem contendit. ibid. Rursus vero: cogimur, inquit, uti vocibus tenebrosis ad lucem significandam. id. ibid. p. m. 1121. nullis tam plene vocibus *DEUM* indicatum intelligemus, quam iis quæ ignoracionem prætendunt nostram. Nimirum ubi cum dicimus immensum incomprehensibilem, quid aliud quam & esse cognoscimus & superesse. id. ibid. p. m. 1119. 1120. En Tibi, Lector benivole, notiones Grammaticæ & Logicæ divinæ, quæ negacionem prorsus respuunt, & ad positivitatem meram adspirant. Ad quas mox exigam primæ & organicæ philosophiæ præcidanea, ubi prius (neque enim mihi, dum utrumque libellum in museo replico, temperare possum) plagii accusavero *Jul. Cæs. VANINUM*, qui citata modo *Jul. Cæs. SCALIGERI* verba in fundum suum *Amphith. Provid. aterna exercit. II. quæ, Deus quid sit, explicat p. m. 9.* nimis inverecundus sine ulla auctoris mentione transtulit. Quem admodum

admodum & p. 11. exercit. 3. dum exhibitam à *Ludovico Vive* in describenda Providentia divina *Consilii* vocem reprehendit, integram rursus paginam & totam fere Sect. 8. Exercit. *Scaligeriana* 365. p. m. 1126. exscribit, ob castigationem ipse castigandus quam maxime.

§. VIII.

Notum est, triplicem ad notitiam *DEI* naturalem, viam stravisse Scholasticos, *Causalitatis* nimirum, *Eminentia* ac *Negationis*, quas recenset atque explicat *ARMANDUS* de Bellovisu de declaratione difficultatum terminorum, tam theological. quam Philosophia ac Logica Tract. III. de cognitione *DEI* cap. 2. Nullam compendiarium magis viam esse, atque *Viam Remotionis*, quæ ad independentiam *DEI* progredi notitia sua homines possint, docet ibidem auctor & *Augustinum* d. C. D. in subsidium vocat. Atque ita sane est res, præsertim, si operam, quam Logica ex Analogiæ atque Oppositionis doctrina insignem navare potest, repudiare nolimus. Namque tundo per omnes mentis nostræ functiones & proprietates ex imperfectionibus harum dependentiam illius à mente perfectiori manifesto deprehendemus: imo hoc pacto ad adyta totius naturalis de *DEO* & attributis divinis scientiæ nos penetrabimus. Si namque à notitia limitatæ cogitationis ad illimitatam in *DEO* pergamus, habebimus attributum infinitatis: rursus si colligere allibuerit à mutabilitate seu variatione modorum cogitandi ad notitiam actus simplicissimi in mente increata, attributa comparebunt & simplicitatis & immutabilitatis, & sic deinceps. Etenim cum imperfectio nulla sit, nisi in oppositione ad aliquod perfectius, commentatio nostræ imperfectionis, quæ intime in complicatis mentis nostræ notionibus residet, cujusque proinde memoriam abdicare haud possumus, per oppositionem

hujusmodi ad perfectionum divinarum cognitionem, liquido nos deducit.

§. IX.

Per negationem neque definiendum neque dividendum, ut placita habent Philosophorum, quæ interpretatur. STAHLIUS in regul. Philos. P. II. disp. 14. reg. 9. p. m. 355. & disp. 14. reg. 6. p. m. 383. At enim vero de rebus creatis, generum specierumque classibus addictis, ea valere in manifesto est. Ad cognitionem DEI, cujus, dicente Damasceno, τὸ μόνον κατὰληπτόν ἢ ἀπειρία καὶ ἀκαταληψία solum hoc comprehendendi potest, quod comprehendendi non potest, tendentibus munitissima via prostat negationis. Rectè namque J. LIPSIUS in Stoic. phys. l. 1. diff. 9. p. 201. Sunt autem quæ de DEO dici & attribui solent, quæ de illo usurpamus, trium generum, 1. negando εἰς ἀφαιρέσεως, ut dum infinitum, immensum, incorporeum dicimus. 2. κατὰ χεῖρον. 3. Denique κατὰ φύσιν. Primum genus tutissimum est, & admirationi, si non notitia, facit. Conferatur VOGELIUS Arist. resolut. & quidem Metaph. §. 53. Unde eam scientiam, quæ inquirat, in impropriatate nominum, quæ de DEO dicuntur, & omnia negat de ipso, omnium maxime sublimem & propriam censet THOMAS ANGLUS Instit. Peripat. ad mentem Digbei lib. V. Lect. IX. p. m. 137. Nec mirari subeat, quare factum sit, ut ad DEI essentiam ejusque contemplationem intellectus se noster habeat ὡς περ πρὸς τῶν νυκτερίδων ἕμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχοντα μισημέρινον. Exponam his, qui libenter conjecturam captant, quid in mentem venerit auctori PARALLELISMI PHILOSOPHICI P. II. Sect. poster. p. m. 290. Idem statui debet de intellectus nostri limitatione, quam nonnulli volunt errorum nostrorum, fere omnium, germanam radicem, præsertimque primi illius, quo Adamus olim à DEO defecit, nullam aliam defectionis hujus causam internam agnoscentes, quam imperfectionem hanc
nega-

negativam. Interim qui hic Euripi cernuntur & quasi super DEI potentiam perfectionemque ferri videntur, eos superare felicissime docet Logica. Non equidem cum Caramuele, adversus quem videatur FRIDEM. BECHMANNUS Instit. Log. p. m. 231. plane inficiabor negationes; sed tantum dicam, nomina negativa cum simplicia sint, positivam aliquam dispositionem significare, utpote esse incorporeum, immaterialem infinitum &c. DEO differentiam substantia corporeitati finitionisque diversam explicant. vid. TH. ANGLUS Instit. Peripat. Digbeiana Demonstrationi immortalitatis anima adjunct. p. m. 136. Minime omnium negationes necessario important imperfectionem, quin potius eandem remouent multifariam, quod sub attributo infinitatis egregie valideque probavit CHRISTOPH. SCHEIBLERUS Op. Metaph. Lib. II. cap. III. p. m. 100. Manet igitur plena realitatis adeoque perfectionis attributio, quando DEUS INDEPENDENS, INFINITUS dicitur: pro quibus alii IMMORTALIS notionem adjicere satagunt. Neque diffitebitur quisquam, qui quidem classicos Latinitatis testes diligenter replicaverit, admirabili significatus ambitu isthanc præditam esse vocem, ac cum prioribus paria omnino facere. Consentiant Commentatores Biblici in loc. I. ad Timoth. VI. v. 10. Conferatur imprimis B. DORSCHUS Pentadec. disp. I. Scite in hanc rem Johann. Euseb. Nierembergii in Theopolitico, atque ex eo PAUL. ANTON. de TARSIA in succo prudentia Sacro-Polis. p. m. 136. quando DEUS immortalis dicitur, titulus ille aternitatis, & infinitatis nomen illud has exigit conditiones potentia benevola, bonitatis prudentissima, solertia felicissima, per vires, per indolem æqualem.

§. X.

Proludit huic, ex sequioribus terminis ortæ, de DEO ejusque potentia absoluta cognitioni Logica, dum noti-

Onum enunciationumq; infinitarum naturam tantum non affirmativam declarare nititur. Dum etenim neq; negatio immediate præcedit copulam, neq; implicite in signo continetur, neq; toti enunciationi præponitur, veræ enunciationis negativæ requisita in illis merito desiderantur. Habent tamen enunciationes infinitæ cum negativis aliquam convenientiam ratione rei enunciatae, non ratione modi enunciandi, qui manet affirmativus, utut fiat de re negata. Ceterum obtinet de his regula: Particula negativa sumpta ex subjecto majoris infinito, in minore infinitam enunciationem, adeoq; affirmativam facit. Quæ omnia cum & Logicorum pueris notissima sint, exquisitis auctoritatibus præfulciri non merentur. Properat jam ad finem calamus, dum ad paginae modum, è specula quasi portum, intuetur animus, alias ad liquidum perducerem, quomodo terminorum infinitantium beneficio ἀγορεύς fieri ἦτος (quæ vocabula Musicæ fuisse quondam propria & rythmo competisse auctor est ANG. POLITIANUS in Panepistemone Opp. p. m. 465.) asoleat.

§. XI.

Demum ut pensulatius cernamus, quam mutuas Logica & Metaphysica circa explicationem absolutæ DEI potentia sibi tradant operas, & quasi conspirent amice, in id unice incumbam, ut remotis corticibus medullam, revulsisq; putaminibus nucleum excerpam. Iliada post Homerum pangere velle videri queat, qui post accuratissimos Theologiæ naturalis Scriptores KLOTZIUM l. c. Diss. XVI. p. m. 751. seqq. & Jo. WOLFG. JAEGERUM p. m. III. seqq. de Omnipotentia, seu absoluta DEI potentia prolixius commentari præsumat. Ego stricturas quasdam impræsens addam, quo ipso officio meo satis me perfun-

perfunctum egregie dicent, quibus momenta rerum constant, quicq; ad rectum statim cujusvis rei propositæ collineare scopum amant. Principio considerare jubeo finitatem in operando, idq; cum SCHEIBLERO Op. Metaph. lib. II. cap. III. p. m. 98. Ibi Logica statim officiosa occurrit, oppositionem adhibere docet, & postquam ostendit finitatem in agendo sumi ex dependentia ad alia, ita colligit. DEUS agit prorsus independenter, & citra concursum alterius superioris causæ, citra concursum materiæ &c: ergo habet vim agendi infinitam, quæ ipsa est omnipotentia. Ingerit se tum Metaphysica & illam potentiam absolutam dici explicat, quod absolvat, sed à quo? ab ordine, quem natura servat, inquit Logica, idq; evincit oppositione, vel potius distinctione contra potentiam ordinatam. Pergit Metaphysica. Ad istum igitur ordinem, qui de facto est in mundo, quæ divina potentia adstricta non est, vocatur absoluta. Porro hic ordo non distinguit aut disponit potentiam DEI, ut duæ inde emergant, ordinata alia, & alia absoluta, sed ista hujus quasi pars est, quorsum vid. SCALIGER exerc. ult. s. 8. p. m. 1126. Hic ordo extra DEUM objectum divinæ omnipotentia ita limitat, ut DEUS dicatur omnia posse possibilia absolute. Possibile autem absolute, explicante Thoma, est, quicquid ex se nullam repugnantiam aut contradictionem involvit. Logica interpretaretur ita, quando prædicatum subjecto non repugnat. Id autem omne est à LEGUM NATURAE NATURA, CONSTITUTIONE & ÆVITERNITATE, quæ de aliquando peculiari dissertatione fructuose agi poterit. Ex quibus omnibus efficitur, recte à nobis observari oportere defectum rei factibilis, cu loquitur ARMANDUS tract. 2. cap. IX. veriusq; nos pronunciare, si dicamus, hæc fieri non possunt, quam, hæc DEUS

DEUS non potest facere. Sed plurima supersunt, quæ
EXERCITATIONI cuidam SECUNDÆ huicq̄ succenturiandæ
ob paginæ modum temporisq̄ angustiam reservantur.

§. XII.

Quæ cum ita sint, immisæ falcis defero PLINIUM
*Natur. Hist. lib. II. c. VII. ed. Dalech. in 8. p. m. 63. omnipotentiam
DEI frustra cavillantem. Cui juvat opponere succinctam
decisionem, quam suppeditat IUD. VIVES de Verit. fidei
Christ. lib. I. p. m. 38. 39. Ceterum illius omnipotentia in eo sita est, non
ut patiat, quod nolit, sed ut efficiat quod velit. Neq̄ enim corpus esse potest,
aut moveri, cædi, dolere, augere, minui, delasari, oblivisci, cogi, vim pati,
vinci, inserire. Non sunt hæc potentia, sed imbecillitatis, quippe nihil horum
pateremur nos, si possemus. Sed neq̄ illa sunt potentia, facere aliquid & esse,
& non esse, album pariter ac nigrum, quæ Plinius Secundus non posse DEUM
facere cavillatur, unde ineptie se contra ejus omnipotentiam collegisse aliquid
autumat. Hoc verò inconstantia foret, non virium, nempe eodem temporis
puncto velle ac nolle, approbare & improbare. Nam si quid facit currere,
vult id currere: sin idam ipsum sedere, non vult currere. Nec potest duos
habere motus voluntatis contrarios, & duo adversa judicia, faciendum & non
faciendum, hoc tale & non tale. Sed nec potest agere, quod non potest velle,
ut seipsum occidere, aut miseram facere. Non enim accidere quid potest,
si id velit.*

Tantum.

COROLLARIA.

- I. Præcepta notionum secundarum tantum vera sunt de primis
notionibus.
- II. Universalia non sunt nuda nomina aut nudi conceptus, sed
severa aliquid existens extra intellectum humanum.
- III. Super Æquivocis non stat contradictio.
- IV. Nec dantur plura, nec dari possunt, præter DEUM, infinita.
- V. Creationem rerum ab æterno ex eorum genere, quæ fieri non
potuerunt, arbitramur.

S. D. G.



XIX

ANATOMIA
N I V I S

Quam
Supremo omnium NIVIUM Autore
coëptis clementer aspirante,
IN ILLUSTRIS
CHRISTIANO-ALBERTINA
non Cultriacie, sed Mentis
ab ipso NIVIUM frigore vividum indeptæ vigorem,
institutam
publico niveæ eruditionis pectorum
examine submittit
PRÆSIDE

CÆSONE GRAMMIO, Ph. & Med. D.

Phys. & Gr. Lit. Professor. Public. Ordin.

RESPONDENS

CHRISTOPH HENRICUS Brücken/
DROCHTERSENSIS EX AGRO BREMANO.

Ad Diem 21. Mens. Mart: 1666.

In Auditorio Majori.

K I L O N I

Literis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

